Die Generalkapitels-Rezesse der Bursfelder Kongregation

I. BAND

1458—1530

von

P. DR. PAULUS VOLK

1955

RESPUBLICA-VERLAG SIEGBURG

1955 g 155
(13.5.55)

UNIVERSITÄTS
BIBLIOTHEK
HEIDELBERG

Imprimi potest, Sanctae Mariae ad Lacum, die 18. m. octobris 1954.
† Basilius, abbas.

Imprimatur, Coloniae, die 3. m. februarii 1955. Jr. Nr. 5313 I/55
Teusch, vic. glis.

Druck: F. Schmitt, Siegburg

Q 7042 5/40
=
1

„Reformer
währte Instit
jeher die bes
dieser Grund
wandt und
fälischen Ber
eine alte und
wollte. Bisch
Gewalt vorg
Schlagworte
allgemeinert
Einführung
einer fremde
gegen eine R
akten selten a
die Akten od
Leben, Wirk
gationen im
Bedeutung d
J. Canivez in
gestellt. Aus
diese Akten z
lichen Lage,

[1] U. Lewald,
kannter ital
Sozial- und
[2] J. Linnebo
XV. Jahrhu
[3] G. Müller,
8 (1907) 287
für das Bene
Vierteljahrs-
[4] J. M. Canivez
1116 ad annu
siastique Tor

1510

September 1. - 4., Bursfeld

Anno christiane salutis 1510 dominica decima quarta, prima die mensis septembris in monasterio ss. Thome et Nicolai in Bursfeldia Maguntinensis diocesis. Quia divina gracia favente multa monasteria in diversis terrarum partibus cernimus sunt reformata atque unita auctoritate apostolica rev. patres dni. abbates, priores, prepositi procuratoresve ceterorum patrum absencium, prout in sequentibus inseruntur, pro stabilitate et defensione eiusdem observancie et pro omnigenis negligenciis corrigendis nec non ut reliqua servanda inconcussa salventur, in unum convenerunt prehabita in primis invocacione Spiritus Sancti nec non devotissima misse decantacione de eodem completa et sermone per rev. patrem dnum. Georgium Pegauiensem ad cetum patrum ... (Formel) ... iniciatum fuit studiosissime sacrum annale capitulum ...

In cuius inicio nomina defunctorum abbatum, fratrum, sororum et benefactorum hoc modo ut sequitur recitata sunt: In primis obiit reverendissimus in Christo pr. et dns. dns. Hermannus Lantgravius Hassie et archiepiscopus Coloniensis princeps elector, qui habuit lit. confr.; ad *s. Jacobum prope Maguntiam* fr. Petrus don.; in *Leisborn* frs. Hermannus supprior s. et m. et Johannes s. et m., Wilhelmus diac. et m., fr. Hinricus don.; in *Alpersbach* frs. Mathias et Bernardus[1] scs. et mi., egregius dns. Hinricus Wageli[2] sacre theologie doctor, dictus Vitus nobilitaris[3], Jacobus calefactor prebi.; ad *s. Georgium prope Nuenborch* fr. Casparus s. et m., fr. Nicolaus don.; in *Pegauia* fr. Mathias subdiac.; in *Egmunda* venerab. pr. dns. Hinricus abbas III. kal. nov., Oserus[4] quondam prior s. et m., ibidem frs. Franciscus s. et m., Thomas don., Cornelius s. et preb., Wilhelmus familiaris; in *Monickennuenborch* fr. Simon s. et m., Theodericus nov.; in *Gottsaw* fr. Nicolaus s. et m.; in *Mynda* Arnoldus et Conradus scs. et mi., Achilleus s. et don.; in *Rastede* frs. Johannes et Hermannus scs. et mi.; in *Bursfeldia* Hildebrandus s. et don., Ludeke

[1] Bernhardinus CDE — [2] Vogeli F — [3] Sixtus et Vitus nobilitares D — [4] Otgerus C

Drunteman preba. et fr. Michael don.; in *Posauia* fr. Johannes Scharch[5] preb.; in *Mediolacu* Anthonius don., in *Colonia ad s. Panthaleonem* Otto de Clivis et Emericus scs. et mi.; in *Erffordia* Wigandus preb., qui habuit lit. confr.; in *Colonia* Ermgardis Gruel[6] de nigro cornu, que habuit lit. confr.; *ad Martyres in Treveri* rev. pr. Johannes abbas XXI. mensis oct. et fr. Wilhelmus subdiac.; in *Hirsaw* frs. Michael, Georgius scs. et mi., Hinricus preb.; in mon. *Bergensi prope Magdeborch* fr. Conradus s. et m., Wolterus preb.; in *Veteri Ulsen* frs. Johannes, Luthardus scs. et mi., Johannes diac., Ludolphus don.; in *Cismaria* fr. Mathias prior, fr. Johannes don.; in *Northem* Hinricus m.; in *Velsdorp* rev. pr. Nicolaus abbas XXVIII. mensis junii[7]; in *Monte Monachorum* Symon s. et m., Johannes cv.; in *civitate Paderbornensi ad s. Udalricum* dna. Gertrudis, Agnes priorissa, Margaretha, Jutta moniales professe; in *Marienmunster* Kunegundis[8] preba.; in *Werna* Dorothea soror; in *Mynda* Rytherus[9] et Deithardus de Lethelen proconsules, qui habuerunt lit. confr.; in *insula prope Confluenciam*[10] soror Catharina don.; ad *s. Agatham in Colonia* Elizabeth, Catharina sorores; in *Gerden* sorores Willa celleraria, Gertrudis et Elizabeth moniales, Catharina, Mechtildis le.; in *civitate Monasteriensi ad s. Egidium* Christina monial., Catharina don.; in *Iborch* Angela preba.; in *Ozede* soror Lutgardis la.; in *Clara Aqua* Gertrudis, Adelheidis, Bertradis monial. professe, Beata la., Gisa[11] preba., que habuit lit. confr.; in *Minda* mater proconsulis ibidem Kunna nomine; in *Herbipoli* fr. Hinricus cv. Item obierunt rev. dns. dns. Jacobus de Liebensteyn archiepiscopus Maguntinensis, qui habuit lit. confr.; in mon. *s. Jacobi prope Magunciam* fr. Petrus don., Thomas de Gavidia[12] doctor theologie, suffraganeus Maguntinensis, qui habuit lit. confr.[13].

Deinde per rev. patrem dnum. Bursfeldensem presidentem principalem absolute subiuncte sunt oraciones consuete, omnibus committitur, ut fraterne caritatis debitum pro eis persolvatur nec aliqua occasione proteletur. Mortuus autem in apostasia privatur tali beneficio aliis in exemplum.

---

[5] Schorch D — [6] Ernegardis Gruelde E; Ermingardis Gruvel D; Gruoll C — [7] julii C — [8] Kunna C; Irmina D — [9] Ritsarus CD — [10] Oberwerth b. Koblenz — [11] Gesa CD; Gesse H — [12] Gamundia C; Thomas Ruscher, vgl. Eubel, Hierarchia II 278 — [13] Item obierunt Jacob. de Liebensteyn — suffr. Magunt.] Obiit R. in Xpo. P. et D. D. Jacobus de Lauenstein archiepiscopus Mogunt. princeps elector [+1508], qui habuit lit confr. neglectus preteritis capitulis; obiit in monte S. Jacobi prope Moguntiam fr. Petrus don.; obiit R. in Xpo. P. D. Thomas de Egmunda sacr. theologiae doctor et D. Rmi. Moguntinensis suffraganeus, qui habuit lit. nostre confr. Obierunt ao. Dni. 1510 in mon. S. Mathiae Apostoli extra Treverim frs. Hinricus et Desiderius scs. et mi., fr. Joannes et Henricus doni., Joannes coquus, D. Petrus de Wampach s. et preb., quorum nomina ad capitulum annale missa per negligentiam proch dolor non sunt praesentata D am Schluß

Consequenter venerandi patres dni. abbates noviter electi videlicet Hinricus Harsfeldensis, Gerhardus Stadensis, Thomas Nuwenborgensis, Johannes Velsdorpensis, Michael Burgelensis, Johannes Gottsauiensis prestitis iuramentis de obediencia et fidelitate capitulo nostro annali exhibitisque literis ad cetum patrum collecti sunt isto tamen adiecto, quod rev. patres Hinricus Harsfeldensis, Gerhardus Stadensis, Michael Burgelensis in futuro capitulo literas incorporacionis suorum monasteriorum presentent sufficienter munitas sigillis eorundem, cum prefatorum patrum monasteria iam noviter incorporata sint capitulo nostro sacro, pro quo fideiusserunt rev. patres Gregorius Ammenslevensis, Johannes s. Michaelis Hildesemensis, Johannes Reynsbornensis, Georgius Pegauiensis. Ex quo autem rev. pater Gottsauiensis non presentavit literas necessarias sui ordinarii sive diocesani aut a conventu suo dedit suum chirographum sigillo abbaciali munitum, ut in futuro capitulo omni impedimento semoto illas presentare velit.

Post hoc lectum fuit registrum monasteriorum unionis nostre, infrascripti patres dni. abbates in personis propriis comparuerunt: Hinricus Bursfeldensis presidens principalis, Johannes in Reynsborn compresidens, Gerlacus in Tuicio in compresidentem electus loco rev. patris Werdinensis, Johannes in Leisborn, Gerhardus s. Martini in Colonia in diffinitores per patres electi, Hermannus in Ilsenborch, Nicolaus in Hildensleven, Gregorius in Ammensleven, Johannes s. Michaelis in Hildeshem, Johannes in Gottsau, Hinricus in Gerode, Valentinus in Marienmunster, Conradus in Reynhusen, Michael in Reynsdorff, Hinricus in Ringelen, Johannes in Abdinckhoven, Henningus s. Godehardi in Hildeshem, Fredericus in Schinna, Johannes in Bredenaw, Johannes in Velsdorff, Michael in Burgel, Johannes in Erffordia, Gerhardus in Mynda, Hinricus in Ballenstede, Johannes in Regali Lutteren, Johannes Rastedensis, Johannes in Hasungen, Franciscus in Corbeia, Conradus in Clusa, Heynemannus in Oldenstat, Hermannus in Huisborch, Gerhardus in Iborch, Georgius in Pegauia, Jodocus in Flechtorp, Hinricus in Northem, Benedictus Bosauiensis, Hinricus in Brema, Albertus in Graffschap, Johannes in Homborch, Hinricus in Monikennynborch, Hinricus in Harsfeldt, Gerhardus in Staden, Thomas in Nuwenborch.

Deinde producta fuerunt procuratoria dominorum abbatum absencium ut sequitur: in Uraw, in Monikenrode, in Monichaurach, in Herbipoli, in Monte Monachorum, in Schwartzach hii omnes per venerabilem patrem s. Michaelis prope Velsdorp; Schotterensis, Hirsauiensis, Alpersbachensis per Gottsauiensem; Werdinensis, Bruwillerensis, s. Panthaleonis in Colonia, in Siloe, prepositus in Clara Aqua hii omnes

per Leisbornensem; s. Jacobi in Maguncia, Gronauiensis, Rinckauiensis, Seligenstadensis hii omnes per Bredenauensem; Lacensis, s. Martini in Treveri, Lutzenborgensis hii omnes per abbatem s. Martini in Colonia; Gosekensis, Mersborgensis, Celle Marie, Oldeslevensis prescripti per Pegauiensem; in Stauria, Gemlacensis, in Oestbroek per Erffordensem; ad Martyres in Treveri, Schonauiensis, Egmundensis, Tholegiensis per Bursfeldensem; Wimelburgensis per Burgelensem; Traiectensis per Abdinckhovensem; Oratorii in Dacia, Cismariensis per Oldenstadensem.

Examinatis ergo absencium procuratoriis compertum est, quod honorabilis dns. prepositus in Clara Aqua non misit procuraciones suas, sed et neque in preterito anno misit, de quibus omnibus satisfaciet legaliter in capitulo futuro.

1. Cum dudum sacrum nostrum annale capitulum commissionem fecerit venerandis patribus Schonauiensi et Gronauiensi pro reductione monasterii Limborgensis saltem cum decentibus expensis et igitur iidem patres cum hiis minime contenti impecierunt capitulum nostrum pro 11 florenis renensibus expositis pro eodem negocio. Cum tamen iuxta recessum ultimi capituli militare oportuit expensis monasterii prefati[14], ideoque maturo consilio prehabito rev. patres dni. presidentes decreverunt, quatenus prefati patres in futuro capitulo propriis compareant in personis et sufficienter patres informent de huiusmodi expensis et tractatibus in eodem negocio habitis. Et pro nunc rev. patres et dni. presidentes totumque capitulum de novo huiusmodi negocium et causam prefati monasterii committunt venerandis patribus Schotterensi et Gronauiensi, ut quantocius generosum comitem de Liningen accedant placitantes atque tractantes cum sua gracia de reformacione dicti monasterii. Et si aliqua difficultas occurrerit, poterunt pro exequendo negocio viciniores patres convocare et quicquid salubrius concluserint, inde in capitulo futuro sicut de aliis luculentam faciant relacionem.

2. Insuper venerab. patres Tholegiensis et Mediolacensis miserunt procuratoria sine pecuniis allegantes, quod in visitacione monasteriorum per dioceses Treverensem et Coloniensem sumptus utiles et necessarios fecerunt. Decreverunt venerandi patres dni. presidentes nec non totum capitulum, quod eisdem procuratoriis transmissis 10 aurei merito defalcari debent. De aliis autem pecuniis aliorum monasteriorum occasione expositis per prefatos visitatores racionem sufficientem in capitulo futuro indilate facient, maxime cum nonnulli patres in communi senserunt et ideo pro nunc pro contumacibus non reputantur.

[14] vgl. 1509 S. 393

Quoniam honesti Ritserus[15] et Dezhardus de Lettelen[16] proconsules quondam civitatis Myndensis ex singulari devocione quam dum viverent ad nostrum sacrum annale capitulum gesserunt et observanciam, et nunc in huiusmodi nostri capituli subsidium 10 florenos legarunt; ideo rev. patres dni. presidentes singulis patribus seriosius commiserunt,quod, postquam primum ad propria venerint, prefatos fratribus in capitulo commendent.

3. Ad obviandum multorum cavillacionibus rev. patres dni. presidentes, diffinitores decreverunt, si sacrum capitulum nostrum aliquociens ex certis respectibus aliquibus patribus capitulo nostro subiectis aliquam commissionem fecerit, militare debent expensis monasterii, de quo facta est commissio excepta duntaxat visitacione annali, de qua capitulum nostrum satisfaciet.

4. Statutum positum in precedenti recessu, quod sic incipit: „Propter honestatem conservandam", pro secundo confirmatur[17].

5. Deinde oculum consideracionis ad acta preteriti capituli dirigentes nos itaque presidentes, diffinitores capituli annalis vigilis exercentes speculatoris officium nunc novorum edicione statutorum nunc antiquorum innovacione ad ea, per que ipse gregis status fideliter ac prospere dirigi conspicitur, libenter intendentes, que in illius tendunt dispendium. Cum autem annale capitulum nostrum per multos annos constituciones declaracionesque multas consulte quidem et racionabiliter ordinavit ac deinde tercio confirmavit[18], nos itaque in annali capitulo congregati pii patris more exacta consideracione presentem novorum statutorum compilacionem considerantes, ut cicius et facilius valeant haberi statuentes, ut singula monasteria nostre observancie procurent ab exemplaribus emendatis transcribi, oblatis pendente capitulo nostro annali et deinceps perpetuis temporibus irrefragabiliter ab omnibus observari, ne de cetero unquam ullo tempore contra premissa indirecte venire aut facere audeant vel presumant cessante saltem iusto et legitimo impedimento. Nichilominus si plura invenirentur in recessibus, debent censeri cancellata annichilata et pro nullo computata. Caveant autem dni. presidentes necnon diffinitores, ne multiplicent amodo statuta sine causa multum racionabili. Poterunt tamen facere ammoniciones seu exhortaciones super quocumque negocio occurrente.

6. Insuper ciphus oblatus per rev. patrem et dnum. Mathiam episcopum Gandensem capitulo nostro[19] ex certo respectu venditus est venerando patri Huisborgensi pro 17 florenis in pium usum et utilitatem capituli nostri.

---

[15] Rilserus D — [16] Lentelen D; Letele E — [17] vgl. 1509 Nr. 1 — [18] vgl. 1509 Nr. 3 — [19] vgl. 1508 Anm. 20 u. 1509 Nr. 7

7. Percepimus querelas de quibusdam ymmo a quam pluribus abbatibus, qui non attenta constitucione preteriti capituli annalis, que ita sonat: Contribuciones rev. patribus dnis. abbatibus Northemensi et Reynhusensi concesse intuitu monasterii Beate Marie Virginis in Steyna continuabuntur[20]. Ammonemus igitur omnes abbates, ut propter pacem et concordiam nec non propter obediencie meritum, quatenus huiusmodi contribuciones cum retardatis, prout plenius simul in predicta constitucione habetur, sine tipo exponantur, alioquin per dnos. presidentes graviter puniantur et condignam super hoc sunt recepturi mulctam.

8. Ad confusionem igitur perpetuam evitandam oportet omnes, qui assumpti sunt ad gregem dominicum excolendum granum a palea per correctionis flagellum excutere et a fruge dominica zizaniam separare, ne electos contagium tante corrupcionis inficiat. Quo circa rev. patres dni. presidentes nec non totum capitulum ad instanciam venerandi patris Northemensis quandam commissionem contra suum monachum nomine Arnoldum residentem in ecclesia parochiali in Northem sigillarunt ad procedendum via iuris contra eundem tamquam inobedientem, expensis saltem eiusdem patris, qui inter ceteros rev. patrem dnum. Johannem abbatem in Erffordia elegit, qui contra eundem tamquam ordinatus iudex illorum rebellisancium procedat prout visum fuerit; et nos prout oportunum fuerit in his omnibus assistemus.

Postremo etsi ad benefaciendum simus omnes debitores, pocius tamen tenemur benefacere, qui nobis magis familiares existunt et eo fervencius bona spiritualia nostre observancie sitiunt. Hinc est, quod subsequentes ad nostram fraternitatem suscepimus inprimis rev. in Christo patrem et dnum. dnum. Christophorum[21] coadiutorem archiepiscopatus sancte ecclesie Bremensis; item illustris princeps et dux Brunswicensis et Luneborgensis; egregius vir dns. magister Gerhardus Kempis utriusque iuris doctor; discretus Hinricus Gruel proconsul civitatis Coloniensis; Hans Rimans[22] familiaris monasterii Bursfeldensis; dns. Johannes Gersemundt[23] sacerdos et canonicus ecclesie in Meschede[24]; validus Anthonius de Papenberch[25] cum uxore sua; Godthardus[26] Hecker vicecuratus in Erdorff; Dithmarus Santmans cum uxore proconsul in Corbecke[27]; Martinus Leubeyn[28], Ursula eius coniux; Johannes Oldesleve, Margaretha uxor eius; Christophorus Andeslecke, Elizabeth eius uxor; honestus dns. Hinricus pastor in Hertfelte[29] cum matre, fratre

[20] vgl. 1509 Nr. 10 — [21] Eubel, Hierarchia III 154 — [22] Trinas D — [23] Gresemont CDF; Gresmert G — [24] Mastrede G; Erstede D — [25] Papperbarch E; Pafferberch F; Palperbergh D — [26] Gerhardus C — [27] Hambeck C — [28] Lonvenbein F; Lobergh D — [29] Helfelt F; Hentfelde D; Helfelte C

et sorore; dns. Gerhardus[30] proconsul[31] in Colonia; honestus Wernerus de Metelon[32]; nobilis Aspel de Snebele[33]; Conradus Reckel cum coniuge; Hinricus Meyer cum uxore; Henningus Nagel cum uxore; generosus comes Johannes in Aldensberch[34] cum Anna uxore et filiis Gregorio, Johanne, Christophoro, Anthonio ac Anna filia; strenuus Rodolphus de Hendemberge cum conthorali sua; Johannes Lede[35] cum uxore sua.

Visitatores monasteriorum deputati sunt ut sequitur: Cis Renum visitabunt rev. patres Seligenstadensis et Rinckauiensis, quos visitabit Flechtorpensis cum assumendo; per dioceses Treverensem et Coloniensem visitabit dns. Werdinensis cum assumendo, quem visitabit dns. Leisbornensis cum assumendo; in Schonauia visitabit dns. Rinckauiensis cum assumendo; in Graffschap dns. Abdinckhovensis et Flechtorpensis; in diocesi Traiectensi et in Frisia visitabunt dni. Stauriensis et Gemlacensis, quos visitabit dns. Oestbroekensis cum assumendo; in diocesi Paderbornensi et in Leisborn visitabit dns. Bursfeldensis cum assumendo Flechtorpensi, quos visitabunt dni. Leisbornensis et Paderbornensis; in Iborch visitabit dns. Abdinckhovensis cum assumendo; in Oratorio Dacie et Cismaria visitabunt dns. Clusensis cum assumendo dno. s. Godehardi in Hildeshem; in Regali Lutteren, in Helmstede, in Hildesleven, Ammensleven, in Wimmelborch, in Huisborch, in Groningen[36], in Ilsenborch, in Ringelen, in Berga, in Monikennuenborch, in Burgelen, in Bosauia, in Pegauia, in Reynsdorp, in Cella Marie, in Nuenborch, in Gotzeck, in Merseborch visitabit abbas s. Michaelis in Hildeshem cum assumendo; in Schynna, in Oldenstat, in Brema, in Rastede dns. Bremensis et Rastedensis visitabunt; in Harsfelde, in Staden visitabunt dns. Erffordensis et dns. in Schwartzack; in diocesibus Bambergensi, Spirensi et Argentinensi et in Schwartzack visitabit dns. s. Stephani cum assumendo; in Mynda dni. abbates Clusensis et Northemensis; in Thuringia, Saxonia et Hassia visitabit dns. Bursfeldensis cum assumendo, cui eciam singulariter auctoritate capituli nostri seu racione presidencie necnon ad vitandum multas expensas et ad relevandum aliquociens visitatores deputatos committitur, quod in omnibus monasteriis nostre unionis et observancie, quo pervenerit, si requiritur et necessarium fuerit, potest visitare.

Demum cum singula prout fieri potuit ordinata fuerunt, superest ordinacio futuri capituli. Ne ergo aliqui patres se de ignorancia excusent, qui de ordinacionibus sacri capituli annalis modicum curant nec ea implere cum diligencia student, rev. pater dns. Bursfeldensis presidens

[30] Grefrad add. F; Greffraid add. C; de Guehart D — [31] magister civium CD — [32] Meytelen C — [33] Swebede EF; Surbete C; Suerefelde D — [34] Amersbech C — [35] Bede CD — [36] Gronaw CD

principalis deputavit monasterium Bruwillerense pro loco indubitato futuri capituli, quod celebrabitur ipso die s. Bartholomei apostoli, in quo compresidebunt rev. patres et dni. Conradus s. Stephani in Herbipoli et Anthonius s. Mathie in Treveri, sermonem faciet rev. pater dns. Gerhardus abbas in Tholegia, missam cantabit dns. Georgius Pegauiensis.

Ultimo restat pro actu finali ... (Schlußformel über Anklage, Absolution usw.) ... Sicque solvitur presens capitulum annale de observancia Bursfeldensi quarto die mensis septembris.

Statuta tradita a patribus in Bursfeldia anno Domini 1510[37].

De diversis statutis.

De electione novi abbatis.

Abbates et alii prelati cedentes aut alias renunciantes secundum merita vel demerita iudicio vel ordinacione visitatorum tractari debent taliter, quod omnia edificatorie iuste sancte ac canonice sine scandalo et nota fiant. Et infra mensem ante[38] suam cessacionem aut suam renunciacionem provideant sibi de aliquo abbate, cui obedienciam prestent; alioquin contra eos per visitatores procedatur.

Fratres facientes obedienciam novo abbati sub hac verborum forma promittant: Ego fr. N. promitto vobis[39] N. abbati huius monasterii obedienciam secundum regulam sancti Benedicti.

De capitulo annali.

(Den Text siehe oben S. 28-31)

De visitacione.

Visitaciones monasteriorum nostrorum eciam prepositurarum de biennio in biennium fiant, ita ut primo anno biennii mox post institucionem visitatorum semper expleantur; monasteria vero monialium iuxta iuris communis disposicionem a suis visitatoribus singulis annis visitari debent. Poterunt nichilominus et debent visitatores monasteria eis commissa eciam alias visitare, quatenus necessarium fore perspexerint; primam visitacionem faciant expensis capituli, alias vero expensis monasteriorum visitandorum.

Facto diligentissimo scrutinio excessuum et culparum in monasteriis visitatores conferant de omnibus cum abbate loci visitati ante publicacionem capitularem depositorum. Et si abbas voluerit se ac suos

[37] In H folgen die Statuten nach dem Rezess von 1501; in G nach 1514 — [38] post G [39] domino add. H

fratres sive privatim sive publice de singulis correctioni visitatorum subdere execucionem facient, sin autem abbas per visitatores ad comparendum in tunc proximo futuro capitulo sub penis per eosdem imponendis citetur iusticiam recepturus.

Visitatoribus a capitulo nostro specialiter indulta et concessa est omnis autoritas tam in iure communi quam eciam in privilegiis, statutis ac cerimoniis nostris ipsis ascripta, quam autoritatem realiter et cum effectu exequi debent, ubi et quando opus perspexerint, sentencias censurarum fulminando, penas temporales imponendo, ordinarios locorum, presidentes et diffinitores capituli nostri aut aliquos ex premissis aut eciam brachium seculare, si ita res exegerit, invocando.

In actu visitacionis inter alia diligens scrutinium facere debent visitatores de qualitate vestium et aliarum rerum ad usum nostrum concessarum et regulariter permissarum, ut scilicet secundum iuris communis et apostolicas sanctiones ac cerimoniarum statutorumque nostrorum ordinaciones curiositate inpetuositate et superfluitate seclusis omnia facta et disposita sint corrigentes, si quid in contrarium attemptatum invenerint absque personarum accepcione.

Visitatores brevem et summariam faciant informacionem presidentibus de statibus monasteriorum, si sunt presentes aut certe cartam mittant sub sigillis suis clausam ad capitulum sub tali aut simili forma: Visitavimus monasterium N. diocesis N.; invenimus abbatem cum tot fratribus; est debitis vel non est debitis oneratum; ibi bona disciplina vel non; abbas est diligens, mediocris, negligens, bonus vel malus; illa vel illa fecit, talis et talis est; Fratres sunt boni vel mali, disciplinati vel indisciplinati, obedientes vel inobedientes, in illis statutis vel illis sunt negligentes; Monasterium in spiritualibus stat bene, mediocriter vel male, Abbas bene regit vel male. Et in hunc modum scribant maiora puncta bona vel mala ita, ut clare sciri possit uniuscuiusque monasterii status tam in spiritualibus quam temporalibus hoc salvo, quod ipsi visitatores per illos, quos transmiserint, eandem informacionem caveant, ne in manus aliorum quam presidencium perveniant.

De fratre in crimine lapso.

Si quis abbatum, prepositorum, priorum vel fratrum solus cum sola in locis suspectis aut occultis repertus fuerit, habeatur tanquam convictus ex facto.

De fratre fugitivo.

Ubicunque monachi fugitivi reperti fuerint, abbates vel abbas proximiores vel proximior omnem studeant adhibere diligenciam ad capiendum

tales fugitivos, donec et quousque abbatibus eorum hoc insinuaverint, qui tunc statim tales reducere debebunt expensis monasterio detinenti et extra solutis.

De abbate et eius officio.

Abbas quilibet, cum exierit, contentus sit capellano et servitore, nisi visitatoribus aliter visum fuerit.

Abbates sine honesta necessitate non celebrent solemniter in conventibus mendicancium, neque ornamenta ecclesiastica forensibus, nisi indultum desuper speciale aut ab ordinario suo licenciam desuper habeant, benedicant neque infulas aut baculos pastorales antiquis curiosiores faciant aut preciosiores.

Abbates sive cellerarii negligentes singulis annis facere computacionem iuxta ordinacionem cerimoniarum nostrarum prout quemlibet concernit, stent in loco noviciorum, quousque facta sit computacio.

Constituant ergo inter se in quolibet monasterio abbas et conventus ipsius aptum tempus, quo singulis annis per eum sit computandum; si quis autem debito tempore ex racionabili causa eam facere nequeat, licenciam prorogandi eam ab uno presidencium aut visitatorum petat, sine quorum licencia nemo habeat potestatem prorogandi neque ipsi licenciam dent, nisi causam racionabilem agnoscant.

De priore.

Prior in absencia abbatis, dum fuerit servitor mense, non ministrabit in refectorio, sed presidebit ipse et alium pro se ministrum ordinabit.

De recollectionibus.

Suademus, quod omnes subiecti capituli nostri libellum de triplici regione claustralium una cum exercicio monachorum legant et practicent.

De confessione.

Qui officinas aut domos mulierum ingreditur aut ad alia diverticula cum eis se recipit absque teste digno, non absolvatur a confessoribus, sed remittatur ad abbatem vel in eius absencia ad priorem. Nullus subiectus capituli nostri alicui extraneo vel forensi sive religioso sive seculari nec visitatoribus sine consensu abbatis sui, eciam si confessionale habuerit apostolicum, confiteatur. Idem prohibetur in virtute sancte obediencie specialiter abbatibus, dummodo confessores de observancia nostra habere potuerint, et sine fraude fiat. Abbates moniales sibi commissas ad minus semel in anno audiant per se in confessione, nisi talem ibi haberent confessorem, de quo sunt securi.

De colloquiis.

An cibus aut potus colloquiis fratrum inferri debeat, stabit in discrecione abbatum, qui pre omnibus videre habebunt, ne excessus contingant in crapulis aut ebrietatibus, quod absit. De quibus Deo et visitatoribus racionem reddent, et sicubi talis excessus repertus fuerit, visitatores huiusmodi restringent aut ex toto graciam auferant.

De dirigendis in via fratribus.

Suppositi capituli nostri non hospitentur in hospiciis secularium in locis, ubi monasteria reformata observancie nostre fuerint. Nemo abbatum mittat aut ordinet ad monasteria monialium, ad grangias, ad ecclesias secularium aut alia loca aliquem fratrem monachum sine socio monacho, super quo ordinarii locorum et principes informentur et quod sit eciam de iure communi. Fratribus, qui instancias faciunt ex propriis motivis ad visitandum parentes aut patriam, nullatenus sui abbates consenciant absque permissione visitatorum suorum. Sed si velint eos emittere ex causis racionabilibus in causis monasteriorum, fiat cum honesta familia. Frater, qui susceperit viaticum pro via aut expedicione causarum, restituat residuam pecuniam ipsa die reditus sui de eo racionem faciendo, antequam se reponat aut sequenti die, antequam commedat.

De lectisterniis fratrum.

Abbates fratribus in dormitorio vel aliis cellis lectisternia de plumis ad operiendum se nullo modo indulgeant salva modificacione circa infirmos in infirmitorio.

De habitu et vestitu fratrum.

Abbas et alii prelati qui in vestibus et camiseis, tunicis, palliis, vittis, cultellis aut ceteris vestimentis preter morem observancie nostre curiosi singularesve reperti fuerint, vel qui famulos suos virgatis seu serratis tunicis vel palliis notabiles reddiderint vel, qui in eis preter necessitatem et in eorum apparatu preciosi fuerint, per capitulum puniantur. Fratres planellis seu pantufolis non utantur, sed, si calcei soleati sunt, hii, quibus conceditur ab abbate, illis uti possunt.

De hospitibus volentibus nobiscum habitare.

Prelati unionis monacho vel converso generale non concedant licenciatorium nec aliquem quoquam dimittant aut licencient ad incertum, nisi prius, a quo colligatur, certi sint et tunc fiat nichilominus cum socio honesto. Prelati unionis non debent fratres transmittere ad aliquod

monasterium nobis nondum incorporatum ad stabiliendum se inibi absque licencia capituli annalis. Abbates monachos alterius monasterii sibi per obedienciam non subiectos apud moniales suas habentes, eos aut ad obedienciam suscipiant aut ad propria monasteria remittant vel certe cum abbate eorum proprio ipsas moniales et monachos visitent.

Qua disciplina quave reverentia opus Dei peragatur.

Nec abbates nec fratres de cetero aliquid corrigere aut mutare permittant aut presumant in libris nisi secundum libros a capitulo nostro assumptos. Per breves lectiones non satisfaciant hii, qui ex negligencia et culpa propria conventuales matutinas neglexerint in monasteriis constituti. In „Te Deum laudamus" non servabuntur predominantes.

De prima.

Ad martirologium possunt scribi nomina patronorum cuiuslibet loci, diocesis sive provincie ita, quod dicitur: „in hoc monasterio" etc.

De diversitate festivitatum.

Festum sancte Anne erit duplex maius; sancti Dominicus et Franciscus habebunt commemoracionem simplicem cum missa.

Quo ordine missa conventualis etc.

Sabbato vacante servabitur summa missa dominicaliter de Beata Virgine absque symbolo, sed si occurrat festum simplex, commemoracio de eo fiat privatim; si vero vigilia vel presens defunctus fuerit, intermittitur missa de Beata Virgine.

De collectis summe misse.

In mediis festis servabitur una collecta ad summam missam sicut in summis festis, nisi occurrat commemoracio specialis una vel plures.

De sequenciis.

Sequencia ad Laudes Salvatoris cantabitur ad missam in festo sancti Nicolai episcopi.

Quo ordine inungatur infirmus.

Absolucio impendenda in articulo mortis de more communi sacramentalis: Dominus noster Jesus Christus te absolvat et auctoritate sacerdotali ego te absolvo a censuris ecclesiasticis et eadem auctoritate te absolvo a peccatis tuis. In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen.

Absolucio plenaria in articulo mortis impendenda.

Dominus noster Jesus Christus te absolvat et auctoritate ipsius et apostolica ego te absolvo a censuris ecclesiasticis et absolvo te a peccatis tuis concedens tibi plenariam remissionem. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Amen.

Quid fieri debet pro defuncto fratre.

Abbates cedentes officiis habebunt post mortem eadem precum suffragia tenentur abbatibus in officio decedentibus, si monasteria sua, quibus prefuerunt, non indiscrete gravaverunt. Omnes subiecti unionis nostre, si fuerint sacerdotes, unam missam, si non fuerint sacerdotes, unam septenam cum letania et semel dumtaxat teneantur legere pro omnibus confratribus, donatis, professis et benefactoribus capituli nostri et unionis literam confraternitatis habentibus, qui in capitulo fuerint denunciati singulis annis.

1511

August 24. - 26., Brauweiler

Anno ab incarnacione dominica 1511 dominica X. post Trinitatis, que fuit ipso die s. Bartholomei apostoli 24. augusti, convenientibus in unum in monasterio s. Nicolai confessoris in Bruwiller prope Coloniam rev. patribus abbatibus ... premissa ut moris est invocacione Spiritus Sancti per solemnem de eodem misse decantacionem per venerab. patrem dnum. Georgium abbatem Pegauiensem factoque sermone ad cetum patrum per rev. patrem dnum. Gerhardum abbatem in Tholegia ceterisque consuetis oracionibus premissis inchoatum est prefatum capitulum annale eorundem patrum dnorum. abbatum unionis et observancie antedictarum et iuxta morem celebratum cum continuacione dierum sequencium.

In cuius exordio fuerunt nomina dnorum. abbatum, fratrum, sororum, confratrum et consororum recitata hoc anno currente defunctorum in hac qua sequitur forma: Obierunt in *Bursfeldia* pr. Wigerus s. et cellerarius, fr. Johannes Reys[1] et fr. Johannes de Gandersheim[2] scs. et mi. et fr. Meynolphus preb.; in mon. *s. Mathie prope Treverim* frs. Hinricus

[1] Regl D — [2] Gandano C